

videtur tibi, recordanti quantum legerit, quantum scripserit, nec in officiis ullis, nec in amicitia principum fuisse? Rursus, quum audis, quid officiorum studiis laboris impenderit, nec scripsisse satis, nec legisse? Quid est enim, quod non aut illae occupationes impedire, aut haec instantia non possit efficere? Itaque soleo ridere, quum me quidam studiosum vocant: qui, si comparer illi, sum desidiosissimus: ego autem tantum, quantum partim publica, partim amicorum officia non distringunt, vaco. Quis ex istis, qui tota vita litteris adsident, collatus illi, non quasi somno et inertiae deditus erubescat? Extendi epistolam quamvis hoc solum, quod requirebas, scribere destinassem, quos libros reliquisset. Confido tamen, haec quoque tibi non minus grata, quam ipsos libros futura: quae te non tantum ad legendos eos, verum etiam ad simile aliquid elaborandum, possunt aemulationis stimulis excitare. Vale.

IV. PLINIUS TACITO SUO S.

«Auunculi exitum Tacito, historiam scripturo, rogatus narrat.»

Petis, ut tibi auunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago: nam video, morti ejus, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvis enim pulcerrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbis memorabili casu, quasi semper victurus occiderit: quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit; multum tamen perpetuitati ejus scriptorum tuorum aeternitas addet. Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda: beatissimos vero, quibus utrumque. Horum in numero auunculus meus et suis libris et tuis erit. Quo libentius suscipio, depono etiam, quod injungis. Erat Miseni, classemque imperio praesens regebat. Nono calend. Septembris, hora diei fere septima, mater mea indicat ei, apparere nubem inusitata et magnitudine et